



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Expedita Juris Divini, Natvralis, Et Ecclesiastici Moralis Expositio

Tamburini, Tommaso

Coloniæ Agrippinæ, 1665

De peccato, & obligatione incutientis metum ad Matrimonium. parag. 3.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40132

hoc artificio usus est. Dum opportunè amicus levi correptus febricula in lecto decumberet, medicum exoravit, ut gravibus verbis affirmaret, hominem maligna, ac periculosa febre laborare. Morem amico gessit nimis indulgens medicus. Unde Titius Cajo persuadere potuit, ut Amasiam legitimè duceret, ne periculum subiret in pravo statu decedendi. Quare denunciationibus consuetis, Episcopi auctoritate dilatis, matrimonium coram Parocho, & Testibus, tota lætante familia, quæ id maximè peroptabat, lecto decubens cum ea puella contraxit. Eo autem vix celebrato, stratagemma illi aperuit Titius, ne scilicet diutius in ea mortis imminentis trepidatione amicum detineret. Et res profectò commodè processit, nam Cajo inito conjugio libens acquievit. Obiit tamen occasione Theologis disputandi de duobus. Primò, an id potuerit prudenter, & sine peccato moliri Titius, & Medicus cooperari?

Secundò, an Matrimonium illud extortum ex metu ægritudinis non veræ, & incuslo opera Titii, eo ipso, sine nova ratificatione, validum fuerit? Quoniam vero prius ex his hujus loci non est, agamus solum de posteriori.

a Delugo de Instit. d. 22. n. 169.

14. Respondeo Tres non absurdos casus inducit, resolvitque Delugo, a si fingas, inquit, advenire hostes justè occisuros cives omnes præter Religiosos, quibus nolunt nocere, & Petrus circumventus ex metu occisionis, Religiosus fiat, professio valebit. Item Secundò, si fingas revelationem, quia Deus iratus Petro propter ejus peccata vult, anno sequente eum de medio tollere, nisi respiscat, & Petrus eo metu Religiosus fiat, ut imminentem mortem fugiat, Professio valebit, redditque rationem, quia, inquit, ad iritationem causandam, requiritur, ut metus sit injustus secundum se, id est, ut sit de malo injustè ferendo: at in casibus dictis, licet metus sit causatus à dolo, seu per dolum; tamen ipse metus in se justus est; justè enim timemus mala propter nostra peccata. Cum ergò ex alia parte dolo, & error non fuerit circa substantiam, non est, unde irrita sit illa Professio. Ex eadem doctrina infert numero 170. Tertium casum, videlicet, validam fuisse Professionem cujusdam Adolescentis, quem cum

meretrice in lecto cubante, amicus quidam deterruit, immisso igne per funiculum fulsurre unctum, quem prius, foramine subtili, à cubiculo inferiore ad lectum usque alligaverat; nam cum repente lectulus immisissum fuisset in pœnam sui peccati, ad ordinem Religiosum se contulit, & laudabiliter ibi vixit, re nunquam à deceptore detecta. Professio enim illa, licet ex metu facta fuerit, non tamen ex metu formaliter injusto, sed ex dolo dicto, quare valida omninò fuit. Hæc ille. Quæ omninò militat in casu nostro de Matrimonio Caji, cum in hoc par sit ratio Matrimonii, & Professionis, ut idemmet Delugo indicat dicto numero 169. Doctrina hujusmodi, sic se habet, si placet utere, secus illam corrigere.

§. III.

De peccato, & obligatione incipientis matrum ad Matrimonium. Remissivè.

1. **D**E his satis dixi in *b* superioribus, ea enim sunt hic proportionaliter applicanda. Quid autem faciat Judex, ne puella ad Matrimonium cogatur, & quando, quare ratione possit illam custodire in Monasterio Monialium, vide apud Dianam. Denique, an peccet, qui coactus metu Matrimonium contrahit, dixi supra.

CAPUT VII.

De Matrimonii ratificatione, quando illud validum non fuit.

1. **T**Riplici modo nullum esse Matrimonium universaliter contingit. Primò, per defectum consensûs, sive, quia is fuit fictus, sive, quia fuit coactus, verbi gratia, ex metu. Secundò, per defectum habilitatis personarum, ut si qui contraxerunt, impedimento dirimente laborabant. Tertio, per defectum solemnitatis inducæ à Tridentino, & puta, si in Matrimonii consensu de præsentibus non adfuit præsentia Parochi, & Testium.

2. **Q**uan-

b Suprad. 3. de hoc. c. 2. §. 2. a nu. 8. vide etiam in nos. lib. 1. in Dec. 1. c. Diana p. 11. Tr. 1. de imp. ped. c. 17. §. 2. c. Trident. sess. 24. c. 1. de matr. d. Popp. l. 1. c. 1. l. 2.